Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Altes Testament, 2. Teil - Cod. Aug. perg. 89

[S.l.], Datierung unklar

Abdias propheta; prologus

urn:nbn:de:bsz:31-67620

Visual Library

mandabo gladio et occidet eos. Et
ponam oculos meos super eos in malum
et non in bonum. Et dominus deus exercituum qui
tangit terram et tabescet: et lugebunt
omnes habitantes in ea. Et ascendet sicut
rivus omnis: et defluet sicut fluvius
egypti. Qui edificat in celo ascensio
nem suam: et fasciculum suum super terram fun
davit: qui vocat aquas maris et effun
dit eas super faciem terre: dominus nomen eius.
Numquid non ut filii ethiopum vos estis
mihi filii israel ait dominus deus. Numquid non israel
ascendere feci de terra egypti: et palestinos
de capadocia: et syros de cyrene. Ecce
oculi domini dei super regnum peccans: et con
teram illud a facie terre. Verumtamen conte
rens non conteram domum iacob dicit dominus.
Ecce enim ego mandabo: et concutiam in
omnibus gentibus domum israel. sicut concuti
tur triticum in cribro: et non cadet lapillus super
terram. In gladio morientur omnes pec
catores populi mei: qui dicunt non appropi
quabit et non veniet super nos malum.
In die illo suscitabo tabernaculum david
quod cecidit: et reedificabo aperturas mu
rorum eius: et ea que corruerant instaurabo.
Et reedificabo illud sicut in diebus anti
quis. ut possideant reliquias idumee et
omnes nationes: eo quod invocatum sit no
men meum super eos. dicit dominus faciens hec.
Ecce dies veniunt dicit dominus: et comprehendet
arator messorem: et calcator uve mit
tentem semen. Et stillabunt montes
dulcedinem: et omnes colles culti erunt.
Et convertam captivitatem populi mei israel: et
edificabunt civitates desertas et habita
bunt: et plantabunt vineas et bibent vi
num earum: et facient hortos et comedent
fructus eorum. Et plantabo eos super hu
mum suam: et non evellam eos ultra de terra
sua quam dedi eis. dicit dominus deus tuus.

Explicit amos propheta. Incipit prologus abdie prophete.

Iacob patriarcha fratrem habuit esau. qui
ob ruborem corporis sui edom hebrea
lingua appellatus est: quod latine sangui
neus dicitur. Is memoratum fratrem suum
qui israel nomen acceperat: gravi odio com
motus infestare conatus est. Qua de cau
sa omnes qui populum israel hoc est filios patriar
che iacob. predicti esau odium imitati sunt. et
esau et edom appellantur. Et quia populus israel
de captivitate chaldeorum per cyrum regem
persarum nutu dei revocatus in ierusalem. ab
alio regno graviter afflictus atque oppres
sus est. ideo hoc regnum quod more esau pre
dictum prophetam persecutum est. per denuntiatio
nem abdie prophete increpatur: quod non dei indig
natione: sed sua virtute prophetam superasse glo
riatur. De quo regno olim per david in
psalmo centesimo tricesimo sexto dic
tum est. Memorare domine filiorum edom in die
ierusalem. Nam reliqua lectione comprehen
sa futurum in gentes iudicium obtusas
lectione comprehensas. et regnum dei in populo israel
significant. Hebrei hunc esse dicunt
qui sub rege samarie achab et impiissima
iezabel pavit centum prophetas in speluncis.
qui non curvaverunt genu ante baal.
et de septem milibus erant quos helyas ar
guetur ignorasse. sepulcrum quoque eius usque
hodie cum mausoleo helysei prophete et bap
tiste iohannis in sebaste veneratione
habetur: que olim samaria dicebatur.
Hanc herodes rex antipatris filius in ho
nore augusti cesaris. greco nomine vo
cavit sebasten id est augustam. Igitur
quia centum prophetas paverat. accepit gratiam
prophetalem: et de duce exercitus fit dux
ecclesie. Tunc in samaria parvum gregem

pauciat: nunc in toto orbe christi pascit
ecclesias. Et sicut stephanus coronam meru
it passionis: sic hic de seruitute dei cum
paulo apostolo nomine gloriatur: quia abdias ser
uus domini in nostro sonat eloquio. Explicit
prologus. Incipit abdias propheta.

Visio abdie. Hec dicit dominus
deus ad edom. Auditum au
diuimus a domino: et legatum
ad gentes misit. Surgite:
et consurgamus aduersus eum in prelium.
Ecce paruulum te dedi in gentibus: contem
ptibilis tu es ualde. Superbia cordis tui
extulit te. habitantem in scissuris petra
rum exaltantem solium tuum: qui dicis in corde
tuo. Quis detrahet me in terram? Si exal
tatus fueris ut aquila: et si inter sidera
posueris nidum tuum: inde detraham te
dicit dominus. Si fures introissent ad te. si
latrones per noctem: quomodo conticuisses?
Nonne furati essent sufficientia sibi? Si uin
demiatores introissent ad te. numquid non
saltem racemos reliquissent tibi? Quomo
do scrutati sunt esau. inuestigauerunt ab
scondita eius? Usque ad terminum emiserunt
te. Et omnes uiri federis tui illuserunt tibi:
inualuerunt aduersum te uiri pacis tue.
Qui comedunt tecum. ponent insidias
subter te: non est prudentia in eo. Numquid
non in die illa dicit dominus perdam sapientes
de idumea: et prudentiam de monte esau?
Et timebunt fortes tui a meridie: ut in
tereat uir de monte esau. Propter interfec
tionem et propter iniquitatem in fratrem tuum iacob.
operiet te confusio: et peribis in eternum. In
die cum stares aduersus eum quando capiebant
alieni exercitum eius: et extranei ingredie
bantur portas eius: et super ierusalem mittebant
sortem: tu quoque eras quasi unus
ex eis. Et non despicies in die fratris tui. in
die peregrinationis eius: et non letaberis
super filios iuda. in die perditionis eorum:
et non magnificabis os tuum in die
angustie: neque ingredieris portam
populi mei in die ruine eorum: neque despi
cies et tu in malis eius in die uastitatis
illius: et non emitteris aduersus exercitum
eius in die uastitatis illius. Neque stabis
in exitibus ut interficias eos qui fuge
rint: et non concludes reliquos eius in
die tribulationis. Quoniam iuxta est dies domini
super omnes gentes. Sicut fecisti fiet tibi:
retributionem tuam conuertet in caput tu
um. Quomodo enim bibisti super montem
sanctum meum. bibent omnes gentes iugi
ter: et bibent et absorbebunt: et erunt
quasi non sint. Et in monte syon erit
saluatio: et erit sanctus: et possidebit domus
iacob eos qui se possederant: et erit
domus iacob ignis: et domus ioseph flam
ma: et domus esau stipula. et succen
dentur in eis et deuorabunt eos: et non
erunt reliquie domus esau: quia dominus lo
cutus est. Et hereditabunt hi qui ad
austrum sunt montem esau. et qui in campe
stribus philistiim: et possidebunt regi
onem effraim et regionem samarie: et be
niamin possidebit galaad: et transmi
gratio exercitus huius filiorum israel om
nia loca chananeorum usque ad sarep
tam: et transmigratio ierusalem que in
bosforo est possidebit ciuitates austri:
et ascendent saluatores in montem
syon. iudicare montem esau. et erit
domino regnum. amen. Explicit abdias
propheta. Incipit prologus
in ionam Ione prophete.

Sanctum ionam hebrei affirmant filium
fuisse mulieris uidue sareptene.
quem helias propheta mortuum suscita